

312

310

316

306

321

301

361

261

411

211

Ende

Anfang

297

Veneris statuam marmoream in ipso collocans, ut refert Jérōnymus in epist. ad Paulinam, et in odium Judaeorum posuit statuam cum imagine sua in locum, ubi templum Domini fuerat, in quo Judaei oratorium fecerant, et quam statim imperator dorsum civitati vertit, Judaei statuam imperatoris destruxerunt. Quod audiens Adrianus reversus est, et totam civitatem funditus evertit eliminatis Judaeis, et abiit. Et ita iterum fuerant muri projecti in voraginem supra cruces. Non multo post Caesar redit, et civitatem de novo instauravit, et praecepit, ut murus antiquus occidentalis totaliter in voraginem praecipitaretur, eamque jussit repleri, et reliquae terrae aequari, et tempulum Veneris muris civitatis coincludi, et pro tanto civitatem amplificari fecit. Et ita factum est, quod vorago illa, in qua sancta crux jacuit annos circiter centum LXXX, ut Hieronymus in ...[loco dicto?] dicit, quo usque sancta Helena venit, et vix locum invenire potuit, qui in oblivionem venerat. Specum ergo mundavit, et eum consecrari fecit, et suam capellam et habitacionem desuper construxit, sicut hodie est. Stabamus ergo in loco illo quasi rapti p̄e admiratione scopulorum et petrarum, sub quibus sancta crux inventa fuit, quia rupes praerupti pendebant super capita nostra, qui ruinam minarentur. In hac sacra voragine multam devotionem hauriunt peregrini. Sed Christiani orientales et etiam Sarraceni in ea vacant superstitionibus vanis. Nam de rupibus illis frusta descendunt pro medicinis. Dicunt enim, quod febricitans, bibens de vino vel aqua, in qua aliquid de illis rupibus est impositum, quam statim sanetur. Insuper, dum quis sentit capitum dolorem, statim comam capitum abradi facit, et pilos abrasos ad custodes templi mittit, ut imponant loco inventae sanctae crucis. Quod dum factum est, sanatur dolens. Similiter faciunt, dum quis dentium dolorem patitur. Tunc barbam abrasam in specum mittunt, ut sanentur. Sic, qui dolent pudenda, etiam faciunt. Unde accidit, quod omnia foramina petrae et rupium sunt repleta barbis, comis et pilis. Hunc profanum ritum ex antiquis idololatriis ad eos devenisse nemo dubitet. Dicit enim Diodorus libro 2. c. 4. antiquarum historiarum, quod olim Egyptii, vota diis facientes pro aegrotationum evasione vel curatione, capillos abrasos aureis vel argenteis imposuerint

